FRATRIS DI

DACI DE ARZE CONVEN

tus Murciæ Guardiani oratio ad Patres in comitijs a Generalibus Seraphicæ religionis B. P. N. Francisci Vallisoleti cõgregatos, qua & religiosæ disciplinę integritas, & optima ministri Generalis electio sua detur. Anno. 1593,

A D

ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM DOMINVM SANCTIVM DE ABILA EPISCOPVM CHARTAGINIENSEM.

402

ILLVSTSSIMO ET REVERENDISSIMO

D. Sanctio de Abila Episcopo Chartaginiensi F. Didacus de Arze conuentus Murciæ Guardianus. S.

OFFERO tibi munus Præsul Illustrissime, si aut ex se, aut ex sua dignitate spectetur, perexiguum: si ex viribus meis, mediocre: si ex animo magnum. Oratio est, quam habui ad conuentum generalem Patrum mei ordinis: quæ cũ de religiosa disciplina agat, & a me habita sit, tibi religionum omnium obseruantissimo, meique amantissimo iure debebatur, cui me & omnia mea iam diu cõsecraui, vale, & me amare perge. Vallisoleti Kalen. Iunij.

1593.

FRATRIS DIDACI DE ARZE CONVENTVS MVRciæ Guardiani oratio ad Patres in comitijs generalibus Seraphicæ religionis B. P. N. Francisci Vallisoleti cōgregatos, qua & religiosę disciplinæ integritas, & optima ministri Generalis electio suadetur.

Anno. 1593.



QVOD PRECATVS ALIquando sum à Deo parente salutis nostræ, vt eā mihi occasionē offerret, qua in publico totius meæ religionis theatro de recuperandá amissa illa veteri viuendi forma, qua vsi sunt Patres nostri, agere possem, id mihi primū diuino beneficio, dein de iussu Reuerendissimi Patris nostri Generalis Francisci à Tholosa tributum ac donatum esse, maxime lætor (Patres grauissimi) sed cum diligenter animaduerto, quibus de rebus, & apud quos hodie mihi dicendum sit, vereor, ne illā reprehensionem incurram, quam Phormionem præclarissimum Philosophū subijsse veterū historiæ referūt. Cū enim Annibal, qui toties cū Romanis victor bellū gessit, commutata subito fortuna, Athenas profugus ad Antiochū peruenisset, ibiq; in scholas visēdi gratia à ciuibus perductus, Phormionem quēdam senē, & Philosophorum eius ętatis facile principē de re militari (vt experientissimo duci gratificaretur) aliquot horas disputantem audiuisset, finita oratione, mirantibus cæteris in Philosopho sene tātam peregrinæ disciplinæ facultatem, & ab Annibale, quid ei videretur sciscitantibus, respōdisse fertur, multos se deliros senes sępe vidisse, sed

Cice. libro. de perfecto ora. Plutarchus in vita Anniba.

ſe,ſed qui magis,quam Phormio,deliraret,vidiſſe neminem. Nec iniuria plane. Quid enim aut arrogãtius,aut loquatius fieri potuit, quam Annibali,qui tot annos de imperio cũ populo Romano omnium gentium victore certaſſet,Græcum hominem,qui nunquã hoſtem,nunquam caſtra vidiſſet,nunquam denique minimã parte vllius publici muneris attigiſſet,de re militari(quæ vſu & exercitatione magis,quam ſolerti meditatione comparatur) præcepta dare? Quam ego hiſtoriã ideo,Patres ampliſsimi,in huius orationis exordio retuli,vt ſignificarem,idem mihi nunc accidere poſſe,quod illi quondam contigit Phormioni. Si enim ille merito ab Annibale dãnatus, ac veluti miniata cerula notatus eſt,quod in tanti ducis conſpectu de diſciplina militari(quam ipſe nunquam expertus fuerat)verba facere voluiſſet,an non ego pariter cum illo eodem crimine damnari poſſem? qui cum Prælatorum functiones & officia fere nunquam attigerim,coram tot tamen ampliſsimis religionis meæ ducibus de reformandis moribus,elligendoq; optimo Generali miniſtro agere præſumam. Verum tamẽ ego in ea ſemper fui ſententia,vt exiſtimarem Prçlatos ſumme etiã doctos ac literatos æquo animo ferre debere,ab alijs quantumuis mediocris eruditionis,(cũ ſæpe ſit holitor valde oportuna loquutus) de rebus grauioribus admoneri. Nam quid aliud quæſo ſibi voluit Apoſtolus Paulus præcipiens ac iubẽs Epiſcopũ eſſe διδακτικόν, quam ipſum non modo doctorem eſſe,ſed etiam,vt vocem Græcam interpretatur Hieronymus,docilem,vel docibilem,id eſt,nõ ſtudio præſumtionis contumacem. Docibilis enim,vt Pauli locũ interpretatur Cyprianus, ille eſt,qui ad diſcendi patientiam eſt lenis ac mittis:quia & ille melius docet,qui quotidie creſcit & proficit diſcendo meliora. Sic Auguſtinus in laudem Prælati,quem deſignat Apoſtolus,ponit,non tam doctum eſſe quam docibilem idеſt,vt nõ ſolũ ſcienter doceat,ſed etiam,vt patienter diſcat. Nõ itaq; vos viros omni bonarũ literarũ genere exornatiſsimos,clariſsimaq; ordinis noſtri lumina docere intẽdo(Quid hoc eſſet aliud,quam vt ſus Mineruam?)ſed vos veſtri officij, pro munere mihi iniuncto,admonere,& ad erigendam humi poſtratam,& ad medendam afflictam,multisque vulneribus deformatam religionem noſtram permouere & excitare. Id quod omni timore expulſo,fugatoque libẽtiſsime aggredior,cum frequens hic veſter cõſpectus,hæc omnium alacritas vultu,oculis,voce ſignificata meũ animum mirandum in modum recreet, & in ſpem obtinendi id quod

1. ad Timo. 3.

Epiſtola ad Heliodorũ

Epiſ. ad Põpeium. 74.

lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. 5.

quod persuadere nitor, erigat. Verumtamen vt cœlestis fabor imbecillitati nostrę, quod spero, præsidio futurus sit, diuino implorato numine rem exordiamur.

Patris amor, natique Deus, pacemque per orbem
Qui fundis placidam, Spiritus alme veni.
Spiritus alme veni, nostræque illabere menti,
Atque imis bonus ô sensibus insideas.

Bene. Arias Mōta. in cuiusdam Prophetæ præfatione.

Sed quo me vertam Patres? vnde lamentandi initium sumam? diuini illius vatis Hieremiæ miserum suæ reipublicæ statum, ac typice nostrorum omniū scelera deplorantis verbis vtar. *Quomodo obscuratum est aurum?* Vbi est ille charitatis splēdor, castimoniæ nitor, deuotionis candor, & omnis virtutis ornatus, qui in primitiuę religionis nostræ facie rutilabat? Vbi in iuuenibus ille pœnitētiæ rigor, quo se in hostiam viuentem, Deoque placentem offerebāt? Vbi in eorum magistris vera religiosæ educationis doctrina, veraque consilia? vbi in contionatoribus animarum zelus verbo & exemplo significatus? vbi in senibus maturitas & grauitas omniumque affectuum moderatio illa venerabili ætate digna? vbi in Prælatis vigilantia, & erga oues sibi traditas indefessa cura, ac pastoralis caritas? vbi in laicis deuotionis ardor, orationis studium, humilitatis exempla? Heu, heu, Patres *mutatus est* ordinis nostri, *color optimus*, &, vt verbum ex verbo reddam, *mutauit se aurum optimum.* Quia hæc rerum perturbatio morūq; corruptela non aliorum vitio, sed proprio nostro malo ordinem nostrum labefactat, funditusq; euertit. *Lapides Sanctuarij*, viri claustris religiosis inclusi Deoque dicati, quos antea religionis cortina celabat, negotijs secularibus impliciti *in capite omnium platearum.* Quocūq; eatis, plena sunt omnia Franciscanis fratribus, & qui cœlesti curiæ olim asidui erant, Principum hodie palatia & curias implent. Quos non tam *dispersos*, quam, (vt Septuaginta interpretum verbis vtar) *effusos*, dicam, cum, vt, interpretatur Olympidorus, fluidi facti sint singuli in conuersationis proposito, quod arripuerāt. *Filij Sion*, Prælati religionis, quōdā vitę sanctitate & morū honestate *inclyti, auro sapientię primo amicti*, & vt Septuaginta dixerunt, *eleuati in auro*, idest quacunque re preciosa preciosiores. (Tantus erat in illis doctrinæ thesaurus) *quomodo reputati sunt in vasa testea?* Ex eo, inquit Olympiodorus, quod in præstantioris vitæ proposito non permanserunt. Quomodo, cum alijs euangelicæ paupertatis exempla præbere debeant ad terrena lucra, ad xenia & dona auide oculos flectunt, cō

Hieremiæ Threm. 4. ca. paraphrasi latiori magna ex parte explicatur.

Sic habet Pagnini translatio. Noua editio sic auri boni massa immutata: in eundem sensū Arias in literatissima illa sua aditione ad Pagnini trāslationē mutabitur massa auri bona.

70. Trāsla.

Olympio. in cathena Græcorū in Threnos.

Habach.2. gregātes auaritiam malam, zelis suis, vt sit in excelso nidus eorū?
vere illi sunt *opus manuum figuli*, quia non iam ad eorum præfectu-
ram spiritus almi numen inuocatur, sed seculi principes exorātur,
quorum interuentu Prælatorum munere, ac dignitate decorātur.
Quo fit, vt, cum horum principum, horum inquam, figulorū sint
opus, eorum non posśint non obedire mandatis, & huius rei cau-
sa religionis statuta peruertere, sanctioresque corrumpere. Hac,
grauisśimi Patres, Prælatorū non solum nostræ, sed omnium fere
70.interpr. religionum socordia, ac negligentia factum est ingenti cū totius
&Symachi Ecclesiæ detrimento, vt *lamiæ*: & iuxta Septuaginta editionem, *dra*
transla. *cones*: & vt vertit Symmachus, *Sirenes*, idest, hæretici, qui horum
monstrorum nominibus merito significantur, cum instar Libica
De lamijs rum quarundam ferarum, quæ vultu mulieris sunt, elegantique
multa luni' forma prædite, earumque infima pars in anguem desinit, quas La-
adagio, la- mias Dion Chrisostomus appellat, ipsi primo aspectu pulcritudi
miæ turres ne doctrinæ præseferāt, & eorum nouisśima ducant ad infernum,
DionChri. & instar Draconū, quod adnotauit Origines, infixo per morsum
in quadam doctrinæ veneno miseros ac perditos homines interimant, necnō
oratione. instar Sirenum incautos nautas Ecclesię mare præternauigantes
Orig.in hu patulaque aure transeuntes mortiferis cantibus, idest, vaniloquen
ius loci ho tię amœnitate, mellitaque suauitate pelliceant, pellectos sopiant,
me. sopitos demergant, vt postea demersos deuorent. Huiusmodi ita-
De sirenib' que monstra *nudauerint mammas*, idest, vt interpretatur Olympiodo
Fulgentius rus venenata dogmata hęreticis sensibus infecta, *& lactauerint ca*
2.libr.My- *tulos suos*. His prodigiosis feris plena sunt omnia. Plena Anglia
tholog. que immani ac truculentę Lamiæ Elisabethæ paret: plena Germa
Olymp.su- nia, quam fœtidus ille Draco Lutherus fętido lacte pascit, & depas
perio.loco. cit: plena Gallia, quæ cū olim monstris vsque ad Hieronymi tem
Hieron.cō pora caruerit, nunc Caluini, Becæ, aliarumque sirenum cantibus,
tra vigilan ita est dementata, prodigijsque referta, vt in Africam penitus con
tium. uersa videatur, singulis diebus noui aliquid parturiens. Quid dicā
Patres? quem inuocabo? *Filia populi mei crudelis, quasi struthio in deser*
to. Nā iuuenum, qui diuino numine afflati, cælestique impulsu
excitati mundum, & quæ sunt mundi relinquētes instituti nostri
tyrocinio initiari cupiunt, Prælati & eorum magistri nullam curā
habent, & illis lac doctrinæ, quo eorum infantia ali posśit, non
præbent, muneris honorem ambientes, onus recusantes, & quos
tanquam carisśimos filios diligere deberent, misere rerum spi-
ritualium siti enecatos relinquūt, merito se struthionibus in deser
to asimi

to asimilantes, qui nimia crudelitate, etiam pignorum suorū deser tores sunt. Durātur enim (teste Iob) ad filios, quasi non sint. Hos Septuaginta interpretes iure optimo non filios, sed *filias popoli mei* appellarunt, quia (vt Origenes interpretatur) ita mascula virtute ac moribus destituuntur, vt prorsus effęminati sint redditi, iuxta illam Domini comminationem, & effœminati dominabūtur eis: Sed nec sacerdotū nostratium facies speciosior est: *cādidiores olim Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphyro pulchriores*: & nunc *denigrata est facies eorum super carbones: nā sunt ag niti in plateis.* Quomodo. n. inter alios dignoscentur, qui nec moribus, nec vita, nec eloquio a reliquis de populo differūt? Sicut popu lus hodie, sic & Frāciscanus sacerdos. Vbi est Patres illa sacerdotū antiqua grauitas, spectabilis honestas, sāctimoniæ cādor, virtutis nitor, deuotionis ferbor, vbi sapiēs, vbi scriba? Vbi doctor paruu lorū: vere *egressus est a filia Siō omnis decor eius, ac princeps religionū fa cta est sub tributo*? O tēpora? O mores? O Rēpublicam Franciscanā perturbatam? Sed inter omnia mala, quæ religionem nostram ita fœdarunt, nullum peius ac pestilentius ambitione, quæ merito radix iniquitatis, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, pater hypocrisis, liboris parens, vitiorum origo, criminis fons, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excœcatrix cordium appe llatur a D. Bernardo. Quæ damna in Ecclesiā Catholicam hęc lu es nō inexit? Superbia vitiorum omnium mater, vt scribit Augu stinus, omnes generat hæreticos pestilentissimos Ecclesiæ pertur batores. Theobutes hæreticorū omnium, primus, quia repulsam meruit Episcopatus, cœpit perturbare omnia. Simon Magus, quē constat episcopalem dignitatem ambiuisse, pecuniaque data eme re voluisse, vbi expulsus fuit, nouam hæresim excogitauit, vt qui in Ecclesia non poterat, saltem extra eam principatū gereret. Sperauerat Episcopatum Valentinianus, quia & ingenio poterat & eloquio, sed alium ex Martirij prærogatiua loci potitum indignatus de Ecclesiæ autenticę regula abrupit. Marcion ęmulatione elatus, vbi non accepit præsidentiam, fissuram fecit, sibi ipsi hære sim erigens, ac dicens: Ego findam Ecclesiam vestram, & mittā fissuram in ipsam in æternum. Montanus primum locū obtinen di cupiditate motus sesipsum Paracletum vocauit. Nouatianus episcopatus cupidine, quam intra se latenter gerebat, accensus, no uitatibus repleuit Ecclesiam. Sabellius ad maiorem fastum ac dementiam delatus, se ipsum dixit Moysem, & fratrem suum Aaro-

Iob.39. 70.editio. Origenes. Esaiæ.3. Esaiæ.24. Esaiæ.33. D.Berna.in quadā epis. D.Aug.l.de pastorib' c. 8. de Theo. Egesipus apud Eusebium lib.4. histo.ca.22 de Simō Magoactorū, 8 de Val.Tertul.in li.cō. Valentinianos de Mar.epipha.Hęresi 42 de Mont.li. 3.de fabulis hęrethicis. de Nouatia. Euseb.lib.2 capitul. 33. de Sabellixo Elorph. hæresi.57.

De Ario Theo. lib. 4 de fab. hær. de Nestor. Theo. li. 4. de fab. hære ti. de Vuic. Vuald. lib. 2. doctri. c. bo. Ioelis. 1.

nem. Arius magnum Alexandrum in Pontificali cathedra sedentem videns ambitionis ignibus æstuans, inuidiæque stimulo percitus, cum aduersus eum pugnæ comitendæ materiam quæreret, occasionem inuenit dogmatũ impietatem. Nestorius occupãdo fauorem populi fusca veste, simulato palore, cõpositis verbis magnam ætatis partem egit, donec, tandem ad Episcopatum peruenit. Ioannes Vuicles quia Episcopus esse non potuit, hæresiarcha factus est. Hic iam se veluti ruptis obstaculis, torrentis instar, effundit iustus dolor. Tam late grassatur, Patres grauissimi, hic ambitionis ignis, vt ab illo speciosa quoque deserti, religiones, in quam, omnes combustas magno nostro malo videamus. Sed alij sua, nos nostra deploremus. Dolemus, pacem inter nos ruptam, vnitatem scissam: rupit scilicet ambitio. Dolemus, senibus, ac Patribus honorẽ ereptum: eripuit ambitio. Dolemus, iuuenes cum primum sacris ordinibus initiantur omni deposita religiosa verecundia cristas erigere, omniaque perturbare, vt erigant, vt perturbent: efficit ambitio. Dolemus, antiquas consuetudines abolitas, cæremonias eliminatas, Patrum nostrorum exempla obliterata, religiosas sanctiones scissas, monasteria prophanata, claustra secularibus repleta, & omnia, quæ veterem viuendi formã referebant penitus perturbata: aboleuit, eliminauit, obliterauit, scidit, prophanauit, repleuit, perturbauit ambitio. Dolemus, intestina desidia, ac veluti ciuilia bella inter nos suscitata, suscitauit ambitio. Dolemus, infima summis paria facta, miscuit ambitio. Desideramus aliquos, qui Seraphicos illos Frãciscos, Antonios, Bernardinos, Ludouicos, Bonasuẽturas suis moribus exprimãt: hos quoq; nobis eripit ambitio. Autoritas Frãciscani ordinis afflicta est, afflixit ambitio. Eius decor immutatus est: immutauit quoq; & ambitio. Quis inquam, non cum pijssimo sene Polycarpo exclamabit, volens nolensque dicet, ad quæ nos, Domine Iesu, reseruasti tempora. Horum morum corruptela Patres grauissimi, factum esse existimo, vt Theologi Aquilonares, hæretici, inquam, qui nostris his miseris temporibus matrem Ecclesiam oppugnant impijs scomatibus, ac dentatis apologijs religiosos omnes proscindant, appellans illos Lutherus homines Idolo Moloch corpora sua concremãtes: Caluinus Sophistas cucullatos, Philippus Melanthõ Hypocritas simulatos, Magdeburgenses Centuriatores hominum monstra, & alijs portentosis appellationibus, quas horrescit animus referens, illos nũcupantes. Vereor Patres, quod vix absque lacrhymis dicere

Similiũ affectuum quã plurima exempla colligit Espenceus in fine libelli dissimi. & adagiorum. Hæc hæreticorũ impia dicta colligit Bellarmi. præfatione in lib. de monachis.

dicere possum, ne propter nos D. Patris nostri Francisci nomen blasfemetur inter gentes, vereor, nequem admodum sanctus Patriarcha Iacob grauiter querebatur, quod filij crudelitate sua, inuisum se Chananeis reddidissent: ita modo Seraph. ille diuinus, merito de nobis cōqueri possit, quod nostra viuendi effrænata licentia fastidiosum eum, ac molestum hominibus fecerimus: vereor, ne sicut Diogenes ille Cynicus, cuidam sibi placenti, quod leonis exuuio tectus incederet, dixit, non tu desines virtutis stragula pudefacere? in decorū esse sentiens, quod homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret: idem nobis dicatur, nec Franciscani instituti habitu sanctimoniam profiteamur, vita non respondēte. Quis nostrum miserabilem religionis nostræ metamorphosim mēte reuoluens lachrymas continere poterit: quis animo consistere: cum fortissimus dux, Iudas Machabæus, vastatis scilicet, & dirutis rebus omnibus Hierosolymis, templi cultum euersum, altare violatū, ianuas exustas, & omnia perculsa, ac prostrata aspexisset, cissis vestimentis, capite cineribus asperso, suspirijs, gemitu, luctuosissimisq; vocibus, incredibilem vim lachrymarum in tantis augustissimi templi ruinis profudit: & nos videntes, religionis nostræ faciem deformatam, nec plane à colachrymabili illo tēpli Hierosolymitani aspectu dissimilem siccis oculis præteribim?? Celebratur militis Atheniensis Cynegiri sub Milciade virtus, qui victis Persis, fugatisque post multam cædem ad naues hostibus, dextra manu onustam eorum nauem tenuit, eaque amputata, cum sinistra eandem comprehendisset, hac quoq; abscisa, morsu, ac dentibus tantisper retinuit, donec truncato capite, ciuibus amoris in patriam sui, hostibus virtutis inuictique animi incredibile argumentum cum stupore dedit: & nos in totius ordinis nostræ causa, qua nihil melius nobis esse potest, ociosi manebimus, & pro quo stabiliendo, tam illustres triumphos duxerunt Patres nostri, pro eodem propagando, conseruando ac tuendo non laborabimus: non crura, nō brachia non pectus, ac caput offeremus? Vbi melius sanguis spargi potest. vbi melius vita deponi. vbi verior ac solidior gloria comparari. Oro uos Patres grauissimi, obsecro, obtestor per illam in nos indulgentiam Dei singularem, tam multis beneficijs declaratam, per vulnera Christi salutaria, per sanctissimum sanguinem, quo nostræ sordes eluuntur, vt vos vestri ordinis miseratio teneat, & postquā huc nullis intinerum laboribus fracti conuenistis, si patrem vuestrum Franciscum, vt debetis, dili

Genes. 34.
Laertius in eius vita.
1. Macab. 4.
Iusti. histo. lib. 2.
indū
erdo

gitis: si Francisci honori & gloriæ seruitis: si Francisci religionis propagationem cupitis, si Francisco gratificari vultis, omnia studia, omnes cōnatus, omnem industriam, operam laborem, diligentiam ad sananda eius ordinis, qui communis est omnium nostrū parens, vunera conferatis. Sed quę tandem tantis malis medendis medicina idonea ac salutaris? Hic iam vos gratis ac beneuolis animis audire cupio, & exoro. Nullum ego aptius remedium adhiberi posse existimo, quam si aliquem Patrem, ac rectorē non hinnitu equi, non augurio auium, non primo solis Orientis aspectu, non vultus pulchritudine, nec corporis proceritate nominatum creatumque, sed libero ac prudentissimo vestro iuditio electum nobis dederitis, qui prudentia, vsu rerum, autoritate aptissimus sit ad perficienda præstātissima generalis ministri munera. Hinc omnis Reipublicæ salus pendet, cum ad omnium vitiorum pestē propulsandam, ad sanandas spirituales ægritudines, ad afferendam denique ouibus curæ vestræ comissis, omnem curationem nulla aptior medicina esse possit optimi pastoris vita, verbo & exemplo conspicua. In memoriam reducite, obsecro, diuino cōsilio a principe populorum Pharaone Patriarcham Ioseph e carcere, in quo duodecim annos in compedibus fuit humiliatus, eductum, constitutum fuisse dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suę, vt corruptelam aulicā coerceret, & ad moderationem reduceret: eadem vos Patres in via incedentes pastoralibus vestris studijs succurrite fratrum omnium saluti, & opitulamini religiosæ disciplinæ, iam pene deflorescenti, talem nobis, vestris suffragijs creando Patrem, qui non multiplicet sibi equos, cum iuxta Domini decretum princeps equorum educator principatu sit indignus: quod ita ex Philonis illius Platonizantis sententia capiēdum est, vt ineptum eū ad principatū existimemus, qui voluptatibus cupiditatibusque & nequitiæ deditus stare loco nescit, & fræna ferox spumantia mandit: qui non reducat populum in Egyptū, præsertim cū Dominus præceperit nobis, vt nequaquam amplius per eandem viā reuertamur; hoc est, ne viros religiosos, qui semel spretis mundi illecebris, a vitijs ad virtutē, a corporis affectibus ad animi constantiam atque sobrietatem, a malitiæ nequitięque fermento ad veritatem, & stabilem synceri propositi firmitatem transierunt, & Deo se consecrarunt, beatoque Francisco nomina dederūt, rursum in seculi delitias, perditosque mores malo suo exemplo inducat & propellat: qui non habeat bobem in lingua, argentanginamque patiatur muneribus corruptus, cum vt Ie-

De varijs ritibus eligēdi reges ac magistratus aliqua Herodotus lib.1. multa Alexan. ab Alexan. li. 4. cap. 23. & Tiraquelus in eius loci scholijs.

Ps. 104. hos annos incarcerationis Ioseph numerat chronicon Hæbreorum Seder Olā Rabba.

Deuter. 17. Philo in alego.

Deuter. 17. De huius loci expositione Pierius comen. de equo.

n ti de c

(vt Iesu Sirach verbis vtar) xenia & dona excœcent oculos iudicum & (vt est in codice Græco Septuaginta) quasi frænum in ore auertit correctiones eorum, sed memoria repetat Tebis repositas iudicũ imagines fuisse, quæ manibus carebant, repræsentantes, oportere ab omni munerum corruptela quam maxime se functos esse, qui ius dicunt populis: qui non summat sibi vasa pastoris stulti, vas inquam, oleo vacuum, peram absque cibo, fistulam raucam, quæ audiri vix possit, baculum ferreum, quo vno ictu miserã ouẽ interficiat, ne huius generis instrumentis derelicta non visitet, (suis videlicet commodis & voluptatibus deditus) dispersum nõ quærat, quia fistulã raucã habet, & contritũ non sanet, quia oleũ secũ nõ tulit: & id, quod stat, nõ enutriat, quia pera vacua exornatur, & carnes pingiũ comedat, suo soli honori studens, & vngulas eorum dissoluat, baculo ferreo percutiens, ne illum omnes non pastorem, sed ignominiose idolum pastoris appellent: qui cum Ioseho totius Ægypti primatum teneat, libidinem calcans, nequitiã euitans, omnesque corporis voluptates edomans atque frænans, cum hoc (vt Adamantius scribit) sit totum Ægypti principatum gerere: qui cũ Moyse ita sit mitis ac lenis propriarumque iniuriarũ immemor, vt cũ Dei honorẽ paruipẽdi animaduerterit, vitiorũq; idola a nobis coli diuini furoris zelo ita accendatur, vt sæueritatis gladio nos cõfodiat & trucidet: qui cũ Iosue subditorũ scelera cõtẽplãs vestimenta scindat, hoc est, cælesti quodã ardore inflãmatus pœnitẽtiæ asperitate ac rigore propriã carnẽ coerceat, & cõprimat, vt vel sic diuinæ indignationis ignẽ extinguat: qui cũ Dauide nõ solũ ouiculas quascũq; agat, sed singularẽ curã fœtarum gerat, memoria veteri repetẽdo id, quod de optimo pastore Christo Esaias dicit: agnos in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit, hoc est, vt sũmo studio quemadmodũ diligentissimũ & maxime industriũ pastorẽ decet, nõ solũ incipiẽtiũ (quod adnotarũt Procopius & Cyrillus) sed etiã perfectorũ curã habeat: qui cum magno illo Propheta Hieremia se super nos cõstitutũ putet, vt euertat, & destruat, disperdat & dissipet, & ædificet & plãtet, cũ neq; ædificari possint bona, nisi destruãtur mala, (vt interpretatur Hieronymus) nec plantari optima nisi eradicentur pessima: qui cum D. Paulo quando quis infirmatur, infirmetur & ipse, paratus, impendere & superimpẽdi pro subditorũ animab⁹ cupiẽs pro ipsis, si tẽporũ occasio det anathema, lustramẽtũ, ac hominẽ sacrũ fieri: qui iuxta mystica illa Ezechielis sãcta quattuor animalia quattuor facies habeat, hu-

Ecclesia. 20 litera græca
Plutarchus lib. de Iside & Osiride.
Zachari. 11.
Gen. 42. iuxta. 70. editio.
Ori. hõ. in genesim.
Exodi. 32.
Iosue. 7.
Psalmo. 77
Esai. 40.
Procopius Cyrillus cõmẽtarijs ad Esaiæ locũ
Hiere. 1. cuius verba ad Christũ retulerũt Origẽ. in Mãth. c. 16. & Nyssenus li. de incre. Iude. ad apostolos Idacius Clarus, lib. 1 in Varimandũ ad sacerdotes

Theodotus Ansirianus hom de Ioane Baptista D.Hier. comen. huius loci. 2. Corin. 11 2. Corin. 12 Romanos 9 Ex trãs. vulgari, & D. Ambrosij & ex expositione Budei Ganei, Sanctij & aliorũ. Ezechielis, 1. ex Batabli Scholijs. D. Chryso. homil. in. 1. Reg. cap. 9 Exod. 27. vide Pagni. in thesauro voce chala. & Oleastrum comẽ. in exod. sed nos propria processimus coniectura. D. Macha. homi. 47. Nicetas scolijs oratiotionis secũdæ in Pascha. D. Nazian Oratio de laudibus Atha. Plutar. in regum apoph.

humanam videlicet lenitatem, leoninam fortitudinem, bouillam utilitatem, atque aquilinam celeritatem: qui (vt verbis D. Chrysostomi vtar) ita caritate reliquis excellat, quantum corporis magnitudine Saul reliquum populum superauit, cum in regem crearetur: qui se pastorem a summo illo pastore Christo cõstitutum agnoscat, diligenti meditatione animo voluens latens illud mysterium in cortinis tabernaculi fœderis, quas fundarum imaginibus fuisse depictas, quidam hæbreorum tradiderunt: vnde in fonte chelaiim cortinas significat à voce chala, quæ funda iacere, denotat, id, quod factum est, vt cum primum antistites tabernaculum ingrederentur, ac ipsis fundarum imaginibus visis, sui muneris admonerentur, memoriam refricantes se pastores esse arcendis ab animarum obili lupis vespertinis designatos: qui Moysis virga vtatur, de qua Macharius scribit duplicem gesisse imaginem: occurrebat enim hostibus tanquam serpens mordẽs & enecans: Israelitis vero erat vice baculi, quo innitebantur. Qua ratione ostẽditur (vt cum Niceta Setronio loquar) geminam esse Prælatorum virgam: vnam pecudes ratione vtentes pastorum ritu castigãtem: alteram infirmos fulcientem, semper id in promptu habens quod Episcopo Athanasio maximæ laudi tribuit D. Gregorius Naziãzenus, quod nunquam virga nisi moderate vteretur, cum vi & facultate dicendi, omnia à subditis impetrare posset. Qui eticum illud, ac celebre Periclis, Atheniẽsium principis apophtegma, qui quoties vestem clauatam & prętextatam magistratui propriã induebat, eam aspiciens dicebat. Attende tibi Pericles, liberi sunt, quos ipse regis: Græci sunt, ciues Athenienses sunt: animo versãs, ipse pariter quoties se in supremo Franciscani ordinis fastigio collocatum contemplabitur, dicat: attende tibi, minister es, non dominus, pater es non tyranus, pastor es non destructor, regis Ordinem Seraphici Francisci, regis oues quas filius Dei liberauit, Christiani sunt, in sacerdotium regale, ac in Domini peculium selecti & consecrati: qui potentiam prudentiæ consociet, asidua mentis cogitatione versans illud ab Ægyptiis erectum geminum Mercurij simulachrum simul coniunctum: alterum iuuenta florentis, alterum maturo senio venerandi, cuius Synesius Episcopus Ptolemaidis meminit, volentes innuere, eum, qui recte rempublicam sit administraturus, coniunctam cum prudẽtia fortitudinem habere debere, quasi alterutrum inutile sit absque alterius ope: qui recordetur faces ardentes apud Romanos ante principem

cipem

cipem præferri solitas, significantes principes ac magistratus virtutis atque æquitatis splendore cæteris prælucere debere, & diligenter animaduertat quanto aptius hoc sibi ac alijs animarum pastoribus, quibus a Christo dictum est, illos esse lucem mundi, accommodari possit: qui sit velut virga vigilãs cuncta subditorum (vt D. Hieronymi verbis vtar) peccata considerans, & percutiens ac corripiens delinquentes, in hoc Deum ipsum exprimẽdo, quẽ Ægyptij per oculum & adiunctum Scipionem symbolico (vt D. Cyrillus Alexandrinus adnotauit) intelligebant, Qui omnia prospiciat ac omnium dominetur: velut virga amygdalina. Nam vt amygdalus prima florem & fructum prolatura, ceteris arboribus anteuenit, ita Prælatus omnium subditorum primus virtutum floribus debet ornari: quod de virga Aaron scripsit Philo, velut baculus nuceus. Quia quemadmodum fructus nucis (quod animaduertit D. Theodoretus) amaram quidem & asperam corticem habet, sub qua latet quod est esculentum: ita maiorum disciplina acerbitatem præse ferre videtur & molestiam, sed quæ secuntur sunt per vtilia: velut Pyramis errantibus circumligata hederæ sequacis brachijs, ita vt eius autoritas & potentia fulcimento sint & ornamento subditis ipsis, quibus nomẽ hederæ apte conuenit, vt pote cùm sese ipsa sustinere prorsumque serpere impotens sit, ni pedamenti adminiculo vtatur, ac flagellis suam muniat imbecillitatem: velut sacra quædam anchora, quæ subditorum calamitati & perturbationi subueniat: seditiones & procellas componat: & ærumnas subditorum depellat, pacique incumbat, iuxta symbolicam quandam imaginem Vespasiani numismatibus excusam cum anchora, cuius medium Delphin obuolutus complecteretur, qua, magistratus subditorum incolumitati procurans, significabatur. Velut generosus & intrepidus canis non mutus, sed latrare valens subditorum vitia nunquam incessere desistens, perpendens Ægyptiorum sapientes non inmerito canis nomine sacrum scribam ac magistratum denotare, vt innuerent, (quod Orius Apollo scriptum reliquit) eum oportere assidue omnibus a Franciscanæ vitæ tramite deuiantibus canum more allatrare, & ferum esse, nullique ex eis gratificari. Velut apum rex vel aculeo carens, vel ad offensionem minime exerens: cum hæc quidem precipua in magistratu debeat esse virtus, vt in obeundis vitæ officijs, nõ magis iustitiæ aculeum, quam dulcem mellis clementiam subditis ostentet: ac tandem qui nihil non agat, nihil non attingat, vt morum corruptelas

Ieremię. i. D. Hier. in hunc locũ D. Cyri. li. in Iulianũ aposta. Iuxta transl. hebraicam Philo in antiqui Biblicis. Iuxta editio 70. D. The. com. in hũc locum. Emblema est Iunij. 14 titulo principũ opes, plebis admi nicula. Ex Alciati emblemate. 143. Huius symboli memi nit Eras. adagio festi na lente. Pierius cõ menta. de cane. Orius lib. i. de sacris notis. Vide Basilium lib. 8. Examc. & orium. lib. i. & plenium. lib. ii capit. 17.

eripiat, vt vitia & peccata corrigat atque emendet, & quoscūque aberrantes ad viam salutis reuocet. Talem Patres, talem nobis da te patrem: Ex hac porrò electione maxima commoda, maximaque adiumenta proficiscuntur, non solum ad facilem gregis comissi gubernationem, sed etiam ad omnem fratrum in via Domini progresionem. Hinc enim firmisimum vnius cuiusque instituti prę sidiū, hinc rituū religiosorū sanctarū, faustarūque cōsuetudinum perennis conseruatio, hinc disciplinæ omnis robur perpetuum, hinc rerum salutarium sanctisimum firmamentum, hinc prospera omnium, paratisimaque ad obediendum voluntas, hinc præclara illa agendi, recteque exequendi contentio, & religiosa æmulatio. Quis vtilitates ex optimi pastoris creatione emanantes breui oratione cōplecti queat? Ingentes plane Deo Optimo Maximo gratias ago cum ligna, hoc est (iuxta Hæbraici nominis ethimologiam) viros consultimos ad eligendum sibi præfectum conuenisse video. Nulla adest aculeata, & (vt verbis vtar Iosephi) ad ignaria valens rhamnus, omnes vos intueor pingues oliuas, dulces ac suauisimas ficus, fœtiferasque vites. Si quęritis cui ex tot viris literis & morū sanctimonia celebribus præfectura hęc sit tradenda animis omni rerum temporalium perturbatione liberis audite vocem, nō ab Alexandro illo Magno, sed a Deo vos dirigente prolatā. Tradatur ei, qui optimus est. Huc inclinate animos Patres, omnēque solicitudinem apponite. Vt quemadmodum neminem, vestrum, vt cuiusque conditio tulit, aut ætas, aut labor, aut valetudo, aut itineris longitudo retardauit, quo minus in hunc locum frequentes ante statum diem conueneritis, qua in re priuata commoda communi officio posthabuistis: sic ad ipsam ministri generalis electionem integram optimamque mentem, ac voluntatem afferatis, vim publici muneris priuatis commodis anteponentes, eorum vtilitati, quibus præestis, non vestris rationibus seruientes. Mæsta & afflicta Franciscana religio nostrum omnium parens caritatem & sapientiam vestram implorat: hanc singulæ vniuscuiusque vestrum prouintiæ incredibiliter requirunt: totus nóster ordo re magis, quam voce deposcit: hoc Optimus & Maximus Rex Philippus, in cuius regia dignitate, vt verbo complectar, Frāciscanum habitum licet agnoscere: hoc Ecclesiarum Episcopi de populorum salute solliciti, a vobis desiderant: vehementer expectat Clemens Pontifex Maximus sperans, populos in fide, curaq; sua conquiescentes ex vestris his pastoralibus conuęntibus, salutare ad

Iudicum. 9

Alte in hoc loco (vt solet) philosophatur Arias Montede Hebraici nominis etimologia

Ioseph. lib. antiqui hebraica. 7.

Interrogatus Alexander tam moriturus cui regnum tradandum a dendum respondit ei qui optimus est, sic Curcius.

tare adiumētū esse cōsequturos: hoc ipsum exigit vestra virtus, quā in publico orbis terrarū cōuētu spectatam,& cognitā, nunc in vestrarum ouium vita,ac salute tuenda debetis exprimere:hoc etiam summopere exoptat sacer Sanctorum omnium nostræ religionis chorus duce Seraphico illo Patre nostro Francisco,quem mihi præsentem videre videor cancelatis manibus nos omnes benedicere paratum:hoc denique flagitat à vobis Christus, vt constet sibi ratio officij vestri erga oues, quas pretio sanguinis sui redemtas vestræ fidei, prudentiæque commendauit,& concredidit.Hic Patres grauissimi,ante oculos ponite ingentem huius nostri ordinis fratrum multitudinem,suæ salutis studio flagrantem hac eadem hora ad cœlum palmas tendentem,vt vos,qui sua causa huc conuenistis in ferendis suffragijs a Deo illuminemini, ac dirigamini.Videte mentis oculis sacerdotes pro vobis ad altaria supplices:videte tot corporis & sanguinis Domini sacrificia in vniuerso terrarum orbe hoc voto litata:videte velatas virgines,demisse ac religiose orantes:videte vniuersum pene hunc populum Vallissoletanum nostri ordinis studio accensum,vt fœliciter comitia hæc nostra eueniant,piè deprecantem: videte innumerabiles totius religionis viros laicos,sacerdotes,cōcionatores,vigiles, ac prę̨latos flexis in choris genibus,profusis lachrymis,pio gemitu,iteratisque vocibus,Spiritus sancti in vos aduentum,Dei misericordiam,Sanctorumque patrocinium implorantes: considerate animo hanc vnam omnium obsecrationem atque orationem,summa tacitæ mentis contentione ad cœlos vsque emissam.

Veni creator spiritus,
Mentes tuorum visita:
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.

Tendunt ad vos omnes religiosi viri,piæque fœminæ beato Patri nostro Francisco, & diuis Claræ & Elisabethæ nomina dātes manus suplices easdem,quas pro vobis & vniuerso ordinis nostri foelici statu Deo immortali tendere consueuerunt:tendunt Belgium,Pānonia,&Germania,quæ magna exparte sic impioriū impetu sunt deformatæ,vt vestigia pristinæ,ac veræ religionis vix vlla compareant:tendit Gallia, quæ amisso prope cognomento maiorum pietate parto,bellorum procellis agitatur,intestinisque malis quatitur:ac tandem omnes prouintiæ Americę vestram opem expectant,vestrum auxilium ac misericordiā implorant,con-

siderantes tunc Ecclesiæ matri omnium læta omnia ac fausta eue-
nire,cum religiones,quæ eius sunt partes præcipuæ, optimis gau
dent moderatoribus nos in timore Domini continentibus. Maxi
ma curate diligentia,ne tot a vobis sudores emissi,tot labores sus
cepti,tot itinera confecta,tot pericula superata frustra succedant;
cauete ne auxilium tantis ac tam pijs orationibus postulatum, vt
hic vester conuentus fœliciter celebretur , inane vobis sit & inu
tile. Nolite Patres per illam qua totum hunc nostrum ordinem
complectimini,caritatem,per illam caram,quam fratribus, omni
bus & debetis & præstatis,per illum ipsum,cuius in terris vice fū
gimini, Seraphicum Franciscum,inimicis nostris,his præsertim,
quos hæresis infamia notatos è gremio suo expulit Ecclesia,dare
lætitiam;impie afferentibus religiosos omnes veluti pecora ven-
tri obedientia cōuentus suos celebrare. Horū zoilorū ora obstrui
te Patres:date hoc Franciscanæ familiæ lachrymis,date vigilātiæ
vestræ:date obsecrationibus meis : ac tandem date hoc cōnatibus
Reuerēdissimi Patris nostri Francisci à Tholosa,qui summa ope
nititur,velut alter Arias defessus iam alicuius Herculis humeris
tantæ gubernationis molem imponere. Nunc tu pater Omnipo-
tens,qui ab alio nullo manas; tuque Fili Optime Maxime, Patri
rebus omnibus æqualis: tuque sanctissime Spiritus,qui ab vtroq;
in omni ęternitate procedis,neutri potestate,dignitate,maiestate
aut alia re vlla inferior: tu denique sancta,& ab humanis cogita-
tionibus secreta Trinitas,vnus Deus, cuius potestate ac numine
omnia continentur; qui baltheum Regū dissoluis,& præçingis fu
ne renes eorum, sic illos ingloriosimbelles & effoeminatos redēs:
vt amissa regia dignitate,illorum renes pro baltheo funes cingan
tur: qui suscitas de terra inopem, & de stercore erigis pauperem,
vt colloces eū cū principibus ac Phylarchis lateribus regis assistē
tibus,qui Moysem tecum in rubo loquentem & legationis mu-
nus septem continuis diebus detrectantem Deum Pharaonis cō
stituisti eum,vt tuus Clemens Romanus nos docuit) regē ac pon
tificem simul creando: qui Dauidem seruum tuum elegisti,ac su-
stulisti eum,humilem & abiectum de gregibus ouium, & pro pa
store pecudum pastorem populorum fecisti: qui piscatores quos-
dam filios terrę ac omnium peripsema ex infimo loco in supre-
mum dignitatis gradum euexisti illos principes,primates, Chris-
tos ac morsus hominum suscitando,vt pascerent terram Assur in
gladio viuaci,inquam,& efficaci sermone tuo,acuto super omnē
gladiū,

Huius alegoriæ meminit Marcelus lib. de optima iuuen. conclusio per deprecationē

Iob.12. vide comen. Cypria. ps. 112. vide expositionem Gebrardi.
Exodi.3. de his septē diebus meminit choro hebræorum Seder. Olam
Clemēs in constitutioni apostolis
2. Catint. 4
Miches,5. cap. hæc diuersa apostolorū epiteta suntex diuersis huius loci tra

gladium bicipitem: qui Mathiam apoſtolatus munere decorâſti, ſtatim dũ apoſtolis tibi (vt Diuini tui Dionyſij Areopagitæ vtar verbis) ob reuerentiam, electionem relinquẽtibus, ſorte cœlitus miſſa, ſigno inquam, viſibili diuinitus elapſo, eis, quem tu elegiſti, declaraſti, qui Diuum Gregorium ter Maximum ſummi paſtoris ſummã dignitatem ſumma humilitate recuſantem, hominumque aſpectũ fugientem, lucida nube loco, in quo ſe abdiderat, incumbente, latentem prodidiſti, & in ſuprema Petri cathedra collocaſti: qui ex hac paupercula noſtra ſocietate complures ſacroſanctę Eccleſiæ Romanæ paſtores celeberrimos ac vigilantiſsimos deſignaſti, Nicolaum Quartum Turcarum, pro tuenda religione Chriſtiana oppugnatorem acerrimum: Alexandrum Quintum ſumma erga doctos & literatos viros ac præſertim Theologos, qui de te loquuntur, liberalitate: Sixtum Quartum doctrina ſingulari, ſcriptiſque eximijs operibus clarum: & noſtris his temporibus Sixtum Quintum medendis Eccleſiæ vulneribus maxime idoneum: inclina de excelſo cœlorum habitaculo oculos clementiæ tuę, & reſpice ſuper hãc eãdem familiam ex te pendentem, & a te auxilium ſuppliciter poſtulantem, & da nobis patrem ac gubernatorem tam vaſtę naui religionis noſtræ gubernandę parem, vt ipſam tot actã procellis, tot diuexatã perſecutionum tempeſtatibus ad tutiſsimum & optatiſsimum portum appellat. O ſumme pater cœleſtium atque hominum rex, qui iuſſiſti, ſeniores ſeptuaginta de populo à Moyſe conuocari ad oſtium tabernaculi fœderis: illiſque eodem loco commorantibus, adeſſe, eundemque ſpiritum largiri dignatus es: per aduentum almi tui ſpiritus in Apoſtolos vno in loco cõgregatos, quo eorum mentes illuminaſti, cordaque accendiſti: per ſacratiſsimam Mariam Filij intacto pudore matrem, Patris ſponſam pudiciſsimam, auguſtiſsimum Spiritusſancti templum, æterni regni participem reginam & ſociam: per diuiniſsima vulnera Seraphici Franciſci, cuius hic filij tanti patris patrocinio confiſi adſumus: per tot Sanctorum ac Sanctarum huius noſtri ordinis ſplendidiſsimas tuas arces ſuper cœli orbes conſtitutas incolentium merita his Patribus hodie, nomine tuo in vnum conuocatis adſis ſupplex oro, & mentes illorum diuini tui luminis ſplendore illuſtres, bonitate foueas, ſapientia regas, modereris, atque efficias, vt illos vno conſilio, eodem animo, eademque voluntate omni extincto ambitionis igne, & peculiarium affectuum omni ſedato turbine, depoſitiſque cupiditatum ſuarum perturbationibus &

slationibus quarũ meminit D. Hiero. & alij Actuũ. 1. Ex Areopagitę verbis colligũt hãc opinionem de ſorte pro ſigno cœlitus miſſo lata petrenſi. li. 9. & Turrianus ſcholijs ad D. clemẽtem. in. D. Gregorij vita & etiam Marulus de his primis tribus pontificib⁹ Platina in eorum vita.

oculis

oculis mentis in te bonorum omnium fontem conlectis, quærant
Ezechie. 34. non quæ sua sunt, sed quæ religionis nostræ, talem eligendo pasto
rem, qui Ezechielis Prophetæ tui voce diuina admonitus, quod
perijt requirat, quod abiectum est, reducat, quod confractum est,
alliget, quod infirmum est: consolidet, quod pingue
& forte custodiat, & ad caulas cælestes perducat, te
donante, qui in essentia vnus, & in personis tri
nus viuis, & regnas in seculorum secu-
la. Amen.

Sub correctione sanctæ matris Eccle-
siç hæc, & omnia mea.